

dlara que con estas puntuales noticias pueda el consejo tomar en deliberacion este asunto, y consultar á S. M. lo mas conveniente al bien espiritual y temporal de sus vasallos en punto á dispensas matrimoniales. Y de órden del consejo lo participo á V. I. para su inteligencia y cumplimiento en la parte que le toca, de cuyo recibo se servirá darme aviso para ponerlo en su noticia.

Dios guarde á V. I. muchos años. Madrid 11 de enero de 1783. — Don Pedro Escolano de Arrieta. — Exmo. señor obispo de Salamanca inquisidor general.

Núm. 13

Facultades concedidas al arzobispo de Toledo por el papa en 23 de setiembre de 1798.

FACULTATES.

I. Absolvendi ab excommunicationibus ob manus violentas injectas in clericos, sive sæculares, sive regulares, dummodo non fuerit secuta mors, vel mutilatio, aut lethale vulnus, vel membrorum fractio; quando nempe casus ad ecclesiasticum forum externum deducti non fuerint, pro foro conscientie tantum; quando vero casus hujusmodi fuerint ad ecclesiasticum forum deducti, etiam extra sacramentalem confessionem et pro foro quoque externo; firmiter semper obligatione satisfaciendi competenter partem et imposita gravi poenitentia salutari.

II. Absolvendi á censuris ob lectionem librorum prohibitorum incursis, postquam tamen penitens libros prohibitos, quos in sua potestate retinet, tribunali S. Inquisitionis consignaverit vel consignari fecerit, aut saltem proprio confessario tradiderit cum congrua poenitentia salutari.

III. Absolvendi omnes, etiam ecclesiasticos sæculares et regulares ab hæresi, schismate, et apostasia á fide, etiamsi eorumdem criminum complices habeant, cum obligatione tamen illos denunciandi, si et quando poterunt, et curent scandalum reparare, et avertere eo meliore modo, quo fieri poterit, prævia semper secreta abjuratione in manibus absolventis: et imposita gravi poenitentia salutari, cum frequentia confessionis.

IV. Absolvendi pariter quoscumque laicos, et ecclesiasticos sæculares nec non regulares utriusque sexus ab omnibus ecclesiasticis censuris quacumque ex causa, etiam ob hæresim, apostasiam et schisma, ut supra incursis, injuncta item gravi poenitentia salutari et confessionis frequentia.

V. Denique absolvendi ab omnibus aliis casibus sædi apostacie quomodolibet reservatis, etiam speciale, et individua mentio-

ne dignis, quorum tenor hic pro expresso habeatur; itemque absolvendi alienigenas ab iis casibus, qui eorum ordinariis sint reservati, quando casus hujusmodi ad forum externum deducti non fuerint, vel si deducti, ob nimiam locorum distantiam, vel ob alias causas absolutio ab iisdem ordinariis facile peti nequeat, injunctis de jure injungendis ac gravi poenitentia juxta prudens dispensantis judicium et criminum diversitatem.

VI. Dispensandi, accedente justa, et rationabili causa, promovendos ad ordines tam minores quam sacros, aut iisdem ordinibus jam initiatos super omnibus irregularitatibus quocumque modo incuris, etiam ad effectum assequendi, vel retinendi beneficia ecclesiastica; exceptis tamen irregularitatibus, quæ proveniunt ex bigamia vera, vel ex homicidio voluntario; et in his etiam duobus casibus conceditur facultas dispensandi si præcisa necessitas proborum operariorum ibi fuerit, dummodo tamen quoad homicidium voluntarium aliquod notabile temporis spatium post patratum crimen effluerit, nec ex hujusmodi dispensatione scandalum oriatur, et quatenus agatur de crimine jam ad forum deducto satisfactis parte et fisco.

VIII. Dispensandi et commutandi vota simplicia, etiam castitatis perpetuæ et religionis in alia pia opera ex rationabili causa, ita tamen, ut commutatio voti castitatis concedatur tantummodo ad matrimonium licite contrahendum, monito dispensando de obligatione servandi hujusmodi votum tam extra licitum matrimonii usum, quam si alteri conjugi supervixerit.

VIII. Dispensandi ad petendum debitum conjugale etiam cum transgressore voti simplicis castitatis, qui matrimonium cum dicto voto contraxerit; aut etiam post matrimonium tale votum emisserit inscia conjugis; monendo hujusmodi poenitentem, ipsum ad idem votum servandum teneri tam extra licitum matrimonii usum; quam si marito vel uxori respective superstes fuerit, quando agatur de voto perpetuo, vel ad tempus nondum elapsam.

IX. Dispensandi super impedimento sive occulto, sive etiam publico primi; nec non primi, et secundi; ac secundi tantum affinitatis gradus ex illicita copula provenientis in matrimoniis tam contractis, quam contrahendis, et prolem susceptam, si qua sit, seu suscipiendam legitimam declarandi; ac quatenus agatur de copula habita cum putatæ uxoris matre, dummodo illa secuta fuerit pot ejusdem putatæ uxoris nativitatem et non aliter; monito poenitente in matrimoniis jam contractis de necessaria consensus renovatione cum sua putatæ uxore, seu suo putato marito cerciorato, seu cerciorato de prioris consensus nullitate, sed ita caute, ut ipsius poenitentis delictum, si alterum conjugem lateat nunquam detegatur. Quod si juxta prudens dispensantis judicium consensus renovatio quacumque adhibita cautela peti nequeat sine pro-

babili periculo, quod alter conjux ab eodem renovando dissentiat, non solum dispensandi, verum etiam sanandi in radice hujusmodi matrimonia: remoté tamen occasione in eandem illicitam copulam relabendi, ac injuncta gravi poenitentia salutari, et confessione sacramentali semel in mense per tempus arbitrio dispensantis statuendum.

X. Dispensandi in matrimoniis contractis super impedimento publicæ honestatis ex sponsalibus validis proveniente, ac etiam in contrahendis, dummodo hujusmodi sponsalia vel per obitum, vel mutuo consensu resoluta fuerint.

XI. Dispensandi super impedimento tam publico; quam occulto criminis, dummodo sit absque ulla machinatione, et quamvis intervenerit machinatio, dummodo hujusmodi impedimentum occultum fuerit, et in utroque casu agatur de matrimoniis jam contractis, monito dispensato de necessaria renovationi consensus inter putatos conjuges facienda modo per confessarium insinuando, et quatenus grave scandalum, aut difficultas ex tali renovatione timeatur, convalidato matrimonio in radice, ac injuncta gravi poenitentia salutari, et confessione sacramentali semel in mense ad tempus juxta prudens dispensantis arbitrium præficiendum.

XII. Dispensandi super impedimento criminis sive occulto, sive publico in matrimoniis etiam contrahendis; neutro tamen conjugum machinante.

XIII. Dispensandi in impedimentis cognationis spiritualis, præter quam inter levantem, et levatum.

XIV. Dispensandi in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis gradibus sive simplicibus, sive etiam mixtis, non solum cum pauperibus, sed etiam cum divitibus in matrimoniis tam contractis, quam contrahendis.

XV. Dispensandi etiam in secundo simplici, et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum tam in contractis, quam in contrahendis, non solum cum pauperibus, sed etiam cum divitibus, dummodo gravissima causa intercedat, injuncta arbitrio episcopi, ac juxta casuum differentiam, et personarum conditionem aliqua poenitentia, vel eleemosyna ad libitum ejusdem episcopi eroganda. In omnibus autem præfatis dispensationibus prolem jam forte susceptam, ac deinde suscipiendam legitimam declarandi.

XVI. Singulæ vero dispensationes matrimoniales pro publicis impedimentis non concedantur nisi cum clausula: — dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat — præteraque singulæ dispensationes matrimoniales concedendæ pro utroque foro, referendæ erunt in regestum authenticum, accurate servandum, cum inscriptione nominum dispensandorum.

XVII. Admittendi ad juramentum suppletorium milites pro eo

temporis spatio in quo militiam secuti fuerint, quamvis nullum proprii status liberi documentum exhibere possint, itemque vagos qui attestationem propriæ libertatis producere nequeant, pro iis tantummodo locis, in quibus per breve tempus, numquam tamen ultra annum moram traxerint. Sive etiam supplendi præfatam attestationem, vel testimonium obitus alterius conjugis, quando agatur de viduis examine duorum testium, vel etiam unius, si duo haberi nequant, dummodo ipsi testes sint plene cogniti ac fidedigne; prætereaque dispensandi in aliquibus peculiaribus circumstantiis ab exhibitione testimonii baptismatis, quando necessitas urgeat contrahendi matrimonium, ac aliunde constet, dispensandos esse catholicos, idque eorum singuli, atque si quibus noti sint, jure jurando confirmant; comminatis in supradictis cassibus poenis contra poligamos statutis.

XVIII. Absolvendi et dispensandi clericos et presbyteros tam sæculares, quam regulares in quacumque simonia, ac etiam in reali, dimissis beneficiis, et condonandi fructus hac occasione sive bona, sive mala fide preceptos, injuncta aliqua eleemosyna vel poenitentia salutari arbitrio dispensantis juxta vires dispensati, et criminis gravitatem, vel etiam retentis beneficiis quando casus fuerint occulti, ac dispensans ob graves causas concedendam esse existimaverit retentionem beneficiorum; presentim si fuerint parochialia, et non sint qui parochiis præfici possint.

XIX. Dispensandi super defectu ætatis unius anni pro suscipiendo sacro presbyteratus ordine, quoties id postulet ecclesiarum utilitas, vel necessitas, dummodo promovendi alias idonei sint. In iis vero regionibus, in quibus tanta est operariorum inopia ut nemo adsit, qui vacantibus parochialibus ecclesiis præstiti possit, dispensandi etiam super defectu sexdecim mensium, et habilitandi ad exercitum pastoralium munerum, dummodo in promovendis cætera requisita concurrant.

XX. Conferendi sacros ordines extra tempora à jure statuta in casu utilitatis vel necessitatis.

XXI. Habilitandi ad beneficia parochialia, aliosque titulos ecclesiasticos quibus adnexa est cura animarum, presbyteros sive sæculares, sive regulares cujuscumque instituti, dummodo prout juris est fuerint approvati, vel alias constet de ipsorum idoneitate, non habita ratione sæcularitatis et regularitatis hujusmodi titularum in defectu tamen presbyterorum sæcularium, quibus præfata beneficia sæcularia, vel presbyterorum regularium quibus beneficia regularia conferantur: item conferendi eadem beneficia, non obstante regula mensium, et usu alternandi, seu lapsu temporis ad præsentandum, aut quavis apostolica, seu alia reservatione vel affectione.

XXII. Prorogandi tempus ad præsentandum quibuscumque be-

beneficiorum patronis, sive ecclesiasticis, sive etiam laicis, quando adsit justa, et rationabilis causa.

XXIII. Conferendi dignitatis, canonicatus, et alia quacumque beneficia, sive residentialia, sive simplicia in quibuslibet ecclesiis, quamvis illorum collatio ex quovis titulo aut speciali, vel generali reservatione ad apostolicam sedem spectet, etiamsi reservationes hujusmodi individua et expresa mentione indigeant.

XXIV. Dispensandi super defectu canonicæ ætatis clericos ad beneficia de jure patronatus passivo jure vocatus, quando vel alter non sit à fundatoribus pariter vocatus, vel inter alios vocatos nemo adsit, qui iisdem beneficiis assequendi sit idoneus. Itemque dispensandi eosdem clericos super defectu sacrorum ordinum, qui forte ab hujusmodi beneficia consequenda requirantur, dummodo cum primum ad ætatem legitimam pervenerint, ordinem, quem ætas ipsa tulerit, suscipiant, ac interea beneficia præfata, debitis non fraudentur obsequiis vel eorum onera fideliter impleantur.

XXV. Eligendi idoneos ecclesiasticos sive sæculares, sive regulares, qui examinatorum sinodaliū vires gerant, comprehensis semper iis qui in postrema diœcesana synodo electi fuere, si eorum aliquis adhuc supersit, et accedente in singulis electionibus consensu capituli cathedralis ecclesiæ.

XXVI. Indulgendi canonicis aliisque beneficiatis facultatem abessendi ad certum tempus à choro, et à residentia, sive causa studiorum, sive redintegrandæ valetudinis gratia, sive ad obeundum aliquod ecclesiasticum munus ad tempus arbitrio concedentis pro ecclesiæ utilitate, vel necessitate; servata tamen forma juris circa partialem dimissionem fructuum, vel distributionum choralium, et auditu capitulo.

XXVII. Impertiendi canonis aliisque beneficia residentialia possidentibus privilegium quod *jubilationem* vocant cum indulto percipiendi fructus, et distributionis ad formam juris; dummodo constet, eos per quadraginta annorum spatium ecclesiæ suæ assidue, et laudabiliter deservisse auditu prius capitulo.

XXVIII. Commutandi recitationem horarum canonicarum in recitationem officii beatæ Mariæ virginis pro clericis beneficiatis, qui decimum octavum ætatis annum nondum attigerint, itemque commutandi eandem recitationem in alias preces arbitrio confessarii pro clericis seu presbyteris ex utroque clero, qui visus debilitate, aut gravi alia infirmitate laborant, aut annorum pondere pressi hujusmodi recitationi recte absolvendæ impares esse dignoscuntur: Indulgendi præterea eandem commutationem monialibus, dummodo aliqua ex causis supra commemoratis intercedat.

XXIX. Concedendi presbyteris ex utroque clero visivæ potentie debilitate laborantibus licentiam celebrandi festis diebus, et duplicibus missam votivam beatæ Mariæ virginis; reliquis vero die-

bus missam defunctorum, consuetis tamen cautelis adhibitis quoad assistentiam alterius sacerdotis, quatenus eo indigere videantur, et firmo remanente onere, si sint parrochi, explicandi evangelium diebus dominicis.

XXX. Indulgendi presbyteris, tam sæcularibus, quam regularibus, itemque clericis beneficiatis, prævio tamen medicorum testimonio, usum comæ ascitiæ, quæ clericalem modestiam præferat, et ad tuendam valetudinem tantummodo sit accommodata, etiam in missæ celebratione aliisque ecclesiasticis functionibus.

XXXI. Habilitandi ad missæ celebrationem, et ad exercitium ecclesiasticarum functionum presbyteros sæculares, qui patrimonium, vel beneficium, aut alium titulum ecclesiasticum vi cuius ad sacros ordines promoti fuerint, inculpabiliter amiserint in toto vel in parte, dummodo aliunde honeste sustentari possint, computatis etiam missarum eleemosynis novumque titulum sibi comparare non negligant.

XXXII. Reducendi et moderandi perpetua missarum onera quamvis jam alia reducta ad formam taxæ in postrema romana synodo sub Benedicto XIII statutæ, vel juxta legitimam loci consuetudinem; ac transferendi hujusmodi onera de una ad aliam ecclesiam, prout necessitas, vel evidens utilitas postulabit, auditis interesse habentibus, iisdemque etiam invitatis, si forte injuste dissentiant. Præterea augendi manualementem eleemosynam missarum, prout attentis peculiaribus circumstantiis necessarium videatur, dummodo hujusmodi eleemosyna taxam pro perpetuis oneribus jam statutam non excedat.

XXXIII. Absolvendi à præteritis omissionibus in adimplendis missarum oneribus imposita, si agatur de vere pauperibus, juxta vires alicujus missæ celebratione; cæteris autem pro gravitate omissionum, et personarum qualitate injuncta majori vel minori eleemosyna arbitrio episcopi eroganda.

XXXIV. Indulgendi regularibus, ut retento habitu in paternas vel consanguineorum suorum domos se recipere, ibique per aliquod temporis spatium arbitrio concedentis manere possint, dummodo id requirat sive pietas erga parentes, qui propter infirmitatem, aut extremam senectutem eorum auxilio indigeant, sive fratrum vel nepotum orphanorum instructio, et custodia, vel alia gravis, et justa causa id ipsum pos tulet.

XXXV. Concedendi et rationabile causa facultatem religiosi cujuscumque ordinis, aut congregationes in aliud institutum trans-eundi, quamvis regula in hoc vigens minus foret austera quam in eo, in quo professionem emisissent.

XXXVI. Concedendi licentiam regularibus exemplis, vel non exemptis, cujuscumque ordinis, et instituti qui vel sua cœnobio deserere coacti, vel ob alias graves, et rationabiles causas dil-

gener ab episcopo expendendas, onerata ipsius conscientia, regularem habitum postulant dimittere, indicendi vestes sæculares, ecclesiastico tamen viro convenientes, ac permanendi in eo habitu sub obedientia ordinarium illarum diocesium, in quibus ipsos moram trahere contigerit, etiam in vim solemnem voti obedientiæ ab eis emissi, cum obligatione gerendi sub veste aliquod signum regularis professionis, ne ex hac revera exiisse videantur, et firmo remanente voto castitatis, aliorumque solemnium votorum obligatione, respectu tamen ad votum paupertatis, et similia quantum in eo statu commode fieri poterit.

XXXVII. Habilitandi eosdem regulares, qui ad statum presbyterorum sæcularium, ut supra, transierunt, præsertim qui sufficienti patrimonio careant, nec illud facile sibi comparare possint, ad assequendum unum beneficium ecclesiasticum, sive simplex, sive residentiale, sive etiam curatum, dummodo sint idonei, et citra habilitationem ad alia quævis beneficia.

XXXVIII. Indulgendi regularibus, qui ad statum presbyterorum sæcularium transierunt, ut missam celebrare, aliasque ecclesiasticas functiones exercere possint, quamvis sufficiente patrimonio, aut alio ecclesiastico titulo careant, dummodo curent de illo, cum primo fieri poterit, providerit; habeantque unde honeste vivant, computatis etiam missarum elemosynis.

XXXIX. Permittendi ingressum, et mansionem puellarum in monasteria, quamvis vigessimam quintam ætatis annum expleverint, vel septimum nondum attingerint, dummodo quintum exceperint, ac etiam viduarum, si expediens videbitur, soluta ab his in ipso ingressu aliqua elemosyna; prævio monialium consensu, capitulariter et per secreta suffragia præstando, servatisque omnibus legibus pro educandis jam statutis.

XL. Deputandi regulares in defectu presbyterorum sæcularium ad excipiendas monialium confessiones, eosdemque confessarios ex utroque clero confirmandi ad aliud triennium, ac ad tertium etiam, si necessitas postulet, dummodo pro secundo triennio duarum ex tribus partium, pro tertio autem omnium monialium assensus capitulariter, et per secreta suffragia præstandus accedat.

XLI. Concedendi toties quoties opus fuerit, triennales confirmationes abbatissarum, aliarumque superiorissarum monasteriorum, prævio semper consueto monialium assensu capitulariter et per secreta suffragia præstando, et dummodo peractæ administrationes rationem reddiderint.

XLII. Permittendi monialibus, prævia jurata medicorum attestatione, et retento habito, egressum è monasterio ad tempus, quando agatur de morbis, qui periculum afferant infectionis aliarum monialium, vel de gravissimis infirmitatibus quibus intra claustra consulti nequeat adhibitis debitis cautelis quoad honestam ilarum conversationem, prævio consensu religiosæ communitatis capitula-

riter, et per secreta suffragia præstando, et proviso, ut semper incedant cum commutato consanguineorum, vel affinium, vel alicujus probatæ honestatis matronæ, quodque vel apud ipsam, vel apud eosdem consanguineos, seu affines hospitentur, revocando statim ad claustra eas moniales quas hujusmodi licentia abuti compertum fuerit.

XLIII. Concedendi monialibus facultatem egrediendi è claustris, et exeundi monasticum habitum in his casibus, in quibus propria monasteria deserere cogantur, vel urgente alia gravissima causa prius ab episcopo diligenter examinanda, onerata super hoc ipsius episcopi conscientia, firmo semper remanente voto castitatis adque substantialibus aliorum votorum, quantum respective ad votum paupertatis, et similia in eo statu commode fieri poterit, et adjecta lege, quod in domum consanguineorum, vel affinium, aut saltem alicujus honeste matronæ se recipiant, modestas induant vestes, aliquod signum religiosæ professionis interius gerant ad exercitandum jugiter tantæ obligationis memoriam, et aliqua pietatis opera exercent juxta prudens confessarii judicium.

XLIV. Dispensandi regulares utriusque sexus, qui facultatem, ut supra, exeundi è claustris obtinuerant, super voto vitæ quadragesimales, aliisque jejuniis, et abstinentiis quibus antea in vim regulæ tenebantur, in juncto eis per modum commutationis aliquod pietatis opere.

XLV. Concedendi restitutionem in integrum adversus lapsum quinquennii regularibus utriusque sexus, qui causas super nullitate professionis introducere velint, servatis tamen in reliquis de jure servandis.

XLVI. Elargiendi licentias pro locatione bonorum ecclesiarum seu locorum priorum ultra triennium, pro permutatione eorundem bonorum, pro contractibus emphyteuticis usque ad tertiam generationem, et non ultra; itemque pro eorundem bonorum alienationibus, dummodo cedant in evidentem ecclesiæ utilitatem, servatisque canonicis sanctionibus.

XLVII. Decernendi quoad res, bona ecclesiarum, et locorum piorum quidquid in domino magis expedire judicaverit, quando, urgente necessitate, eadem loca pia, et ecclesiæ taxas, et tributa extra ordinem solvere cogantur, episcopi et superiorum ecclesiasticorum conscientis super hoc graviter oneratis.

XLVIII. Indulgendi tam viris, quam fæminis, si necessitas cogat, nec aliter fieri possit, ingressum in claustra regularium utriusque sexus, adhibitis tamen omnibus cautelis, quæ sint in potestate concedentis, præsertim si agatur de ingressu virorum in sanctimonialium monasteria.

XLIX. Permittendi ex gravissima causa, ut personæ sæculares judicent in causis clericorum civilibus, et criminalibus mere prophanis, itemque ecclesiarum, et locorum piorum, dummodo hu-

jusmodi iudices sufficienti scientia, et prudentia sint præditi.

L. Deleganti simplicibus sacerdotibus potestatem benedicendæ paramenta, et alia utensilia ad sacrificium missæ necessaria, ubi non interveniat sacra unctio, et reconciliandi ecclesias pollutas aqua ab episcopo benedicta, et in casu necessitatis etiam aqua non benedicta ab episcopo.

LI. Concedendi ad tempus ab episcopo præfinitum, indultum oratorii privati iis personis quas hujusmodi gratiis dignas existimaverit, dummodo ad sui rationabilis causa, et consuetæ regulæ observentur circa hujusmodi oratoriorum decentiam, et ornatum, ea tamen lege, quod episcopus, sive alia persona ecclesiastica ab eo specialiter deputanda, hujusmodi oratoria visitet quodque in iis una tantummodo missa quotidie celebretur, exceptis certis diebus per annum solemnioribus. Quæ quidem missa suffragetur in præcepti adimplementum pro consanguineis, et affinis in simul cohabitantibus, ac pro eo familiarium numero, quem episcopus præfinitam censuerit. In casu autem infirmitatis, vel malæ affectæ valetudinis, ob quam medicorum iudicio indultarii ex domo egredi nequeant, concedendi facultatem celebrare faciendi sacrum, diebus etiam solemnioribus ac suscipiendi in præfato oratorio sacramenta pœnitentiæ (adhibito genuflexorio cum cruce pro mulieribus) et eucharistiæ absque præiudicio iurium parochialium, et excepto paschate resurrectionis dominicæ. Qua vero ad oratoria ruri existentia, missa in iisdem celebranda suffragari poterit in præcepti adimplementum pro omnibus hospitibus et familiaribus.

LII. Elargiendi juxta casuum exigentiam, ac locorum, et temporum circumstantias, laicis, magistratibus, aliisque sæculares curiæ ministris, ingressum in ecclesias, aliaque loca, quæ immunita censi debent ad effectum extrahendi reos, et milites, qui defecerunt à signis, itemque reconoscendi occisorum cadavera, extra tamen loca immunita, si commode fieri possit, pro hujusmodi effectu asportanda aliosque similes actus peragendi. Curent autem episcopi in hujusmodi casibus irreverentias, et scandala, quantum fieri poterit, arcere, sique opus sit, consuetam protestationem emittant. Itemque extrahendi et ejiciendi ex iisdem locis tum reos, qui ecclesiastico asilo abutuntur, tum bona, et arma ad ipsos spectantia.

LIII. Concedendi licentiam ad certum tempus, ac durante tantummodo gravi necessitate, utendi in publicis ecclesiis luminibus ex oleo tam in celebratione missarum præter solemnes quam in aliis functionibus ecclesiasticis, dummodo evidenter constet de vera impotentia ob reddituum defectum ad cereos comparandos, et servata quantum fieri potest, exterioris cultus decentia, et munditia.

LIV. Prorogandi, non tamen ultra septennium, indulgentias

omnes sive plenarias, sive partiales, itemque altaria privilegiata quibusvis ecclesiis, seu oratoriis publicis ab apostolica sede antea elargita, observatis in omnibus hujusmodi concessionum forma, et tenore.

LV. Dispensandi, quando necessitas postulat, ac ita expedire videbitur, super usu carnum, ovorum, et lacticiniorum tempore jejuni et præsertim quadragesimæ, finem tamen in omnibus ejusdem jejunii lege; itemque indulgendi eandem dispensationem regularibus utriusque sexus, qui certis temporibus in vim regulæ abstinentiam à carnibus servare tenentur, exceptis iis, qui solemnibus votu vitæ quadragesimalis perpetuæ sunt obstricti; quibus tamen hujusmodi indultum elargiri poterit, si gravissima urgeat necessitas ob ciborum esurialium defectum ac durante tantum necessitate.

LVI. Quoniam vero fieri potest, ut capitula sive generalia, sive provincialia, pro eligendis superioribus regularum ordinum, seu congregationum statutis temporibus cogi nequeant, ideo per organum episcoporum noverint omnes, qui iisdem ordinibus et congregationibus modo præsent, vel in posterum per obitum actualium superiorum præsidebunt se etiam post terminum à singulis regularibus constitutionibus præfinitum eodem munere fungere donec comitia generalia, vel provincialia haberi possint, iisdem plenam facultatem concedi eligendi, seu confirmandi, ac etiam removendi superiores locales aliosque diversa officia in singulis cœnobiis exercentes, servatis in hoc quantum fieri poterit, uniuscujusque ordinis seu congregationis legibus. Si vero hujusmodi capitula quamvis non in locis, ubi vel regula, vel consuetudo præscribit, alibi tamen commode liceat habere, facultas tribuitur prælati superioribus generalibus eadem indicendi, cunctosque, qui interesse debebunt, illuc vocandi, quo magis in domino expedire censuerint, dispensando etiam, si fore vocales ex alicua provincia vel in toto, vel in parte ad capitulum nequeant accedere; singulorum ordinum, et congregationum statutis, quamvis apostolica auctoritati confirmatis, ac speciale, et individua mentione dignis, aliisque in contrarium facientibus non obstantibus.

LVII. Noverint etiam archiepiscopi, episcopi alique ecclesiarum prælati jurisdictione quasi episcopali fungentes ad majorem conscientiam suæ tranquillitatem eorum singulos sacrorum liminum visitationem, et relationem status diocesium suarum quibus peragendis jurejurando se obstrinserant, tandiu differre posse, donec, mutatis circumstantiis, liber sit ad summum pontificem et ad apostolicam sedem accessus, et si qui forte ad hanc usque diem hujusmodi visitationem debito tempore explere neglexerint, sciant, se à quibuslibet censuris propterea incursis apostolica auctoritate absolutos esse.

LVIII. Communicandi, si necessitas postulet, ac juxta locorum, et circumstantiarum exigentiam prædictas facultates præser-

tim pro foro conscientiae, non tamen illas, quae requirunt ordinem episcopalem, prout magis in domino expedire iudicaverit, sacerdotibus idoneis, et ad tempus episcopo bene visum, necnon eadem, quatenus opus fuerit, revocandi, sive etiam moderandi tam circa illarum usum, quam circa loca, et tempus easdem exercendi.

LIX. Ut autem bono consulatur etiam illarum ecclesiarum, in quibus sedes episcopales vacantes modo sunt aut vacare in posterum contigerit, tribuuntur facultates omnes hactenus recensitae, exceptis iis quae ordinem episcopalem requirunt, vicario capitulari, eligendo á capitulo intra statutum canonicum tempus. Quod si capitulum quacumque ex causa eligere non possit aut negligens fuerit in vicari capitularis electione ita ut non adsit, qui iusta canonicas leges vicarii capitularis munere fungatur, metropolitano conceduntur eadem facultates omnes. Si autem ecclesia vacans metropolitana fuerit, vel exempta, antiquiori episcopo ex suffraganeis in metropolitana et propinquiori episcopo in exempta, tribuuntur omnes praedictae facultates. Conceduntur etiam recensitae omnes facultates, exceptis requirentibus episcopalem ordinem praelatis inferioribus *veré nullius*, habentibus jurisdictionem ordinariam in cle- rum et populum cum separatione territorii.

LX. Singulae vero facultates quas praesens catalogos complectitur, *gratis*; et sine ulla mercede concedendae, et exercendae respective erunt, et perdurare debent arbitrio sanctitatis suae, et quatenus ab eadem sanctitate sua non fuerint revocatae, etiam apostolica sede vacante, et ad nutum ac beneplacitum futuri romani pontificis.

LXI Conceduntur autem ea lege, ut nullo pacto liceat iisdem extra fines propriae diocesis.

LXII. Demum conceduntur sub ea conditione quod in exercitio cujuscumque ex commemoratis facultatibus expresse declaretur, illas concedi tamquam á sedis apostolicae delegato: quae declaratio in ipso actus tenore inserenda erit quotiescumque agatur de actis scripto exarandis.

Ex Cenobio Cartusianorum prope Florentiam, Dié 23 Septemb. 1789.

Suprascriptas facultates ven. fratri nostro Francisco Antonio cardinali de Lorenzana, archiepiscopo Toletano, concedimus easque cum reservationibus et conditionibus in iis expressis ab eo, cum opus fuerit, in sua diocesi permittimus.

PIUS PP. VI.

Núm. 14.

Real decreto de Carlos IV sobre dispensas matrimoniales y otros puntos.

La divina providencia se ha servido llevarse ante sí, en 29 de agosto último, el alma de nuestro santísimo padre Pio VI; y no pudiendose esperar de las circunstancias actuales de Europa, y de las turbulencias que la agitan, que la eleccion de un sucesor en el pontificado se haga con aquella tranquilidad y paz tan debidas, ni acaso tan pronto como necesitaria la iglesia; á fin de que entre tanto mis vasallos de todos mis dominios no carezcan de los auxilios preciosos de la religion, he resuelto que hasta que yo les dé á conocer el nuevo nombramiento de papa, los arzobispos y obispos usen de toda la plenitud de sus facultades, conforme á la antigua disciplina de la iglesia, para dispensas matrimoniales y demas que les competen: que el tribunal de la inquisicion siga como hasta aquí ejerciendo sus funciones; y el de la Rota sentencie las causas que hasta ahora le estaban cometidas en virtud de comision de los papas, y que yo quiero ahora que continúe por sí. En los demas puntos de consagracion de obispos y arzobispos, ú otras causas quiera mas graves que puedan ocurrir, me consultará la cámara cuando se verifique alguno por mano de mi primer secretario de estado y del despacho, y entónces, con el parecer de las personas á quienes tuviese á bien pedirle, determinaré lo conveniente; siendo aquel supremo tribunal el que me lo represente, y á quien acudirán todos los prelados de mis dominios hasta una orden mia. Tendráse entendido en mi consejo y cámara, y expedirá esta las órdenes correspondientes á los referidos prelados eclesiásticos para su cumplimiento. — Señalado de la real mano de S. M. — En San Ildefonso á 5 de setiembre de 1799. — Al gobernador de mi consejo y cámara.